



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ex Nouo Testamento Quatuor Eua[n]=||gelia**

**Erasmus, Desiderius**

**Erphordie, 1520**

**VD16 B 4591**

Capvt. XXVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34488**

SECVNDVM

XXXV  
tres dies resurgam, iube ergo muniri sepulchrum usq; in diem tertiu, ne quando veniat discipuli eius, & furentur eum: dicantq; plebi, surrexit a mortuis: & erit nouissimus error peior illi prior. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam: Ite, munite sicut scitis. Illi autem abeentes, munierunt sepulchrum, obsignato lapide, adhibitis custodibus

CAPVT. XXVIII.

Espera autem sabbatorū, quæ lucebat in unam sab-  
batorum, venit Maria magdalene & altera Maria, vt  
viderent sepulchrum. Et ecce terræmotus factus est  
magnus. Angelus enim domi descendit de cælo: & accedens, de-  
uoluit lapidem ab ostio, sedebatq; super eum, Erat autem aspe-  
ctus eius sicut fulgur, & vestimentum eius candidum sicut nix.  
Præ timore autem eius concussi sunt custodes, & facti sunt velut  
mortui. Respondens autem angelus, dixit mulieribus: Nolite  
timere vos, scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, queritis,  
non est hic, surrexit enim sicut dixit. Venite, videte locum ubi po-  
situs erat dominus. Et cito euntes dicite discipulis eius, quod  
surrexit a mortuis, & ecce præcedit vos in Galilæam, ibi eū vide-  
bitis, ecce dixi vobis. Et digressæ celeriter a monumento cum iu-  
more & gaudio magno, currebant ut renunciarent discipulis ei⁹.  
Cum autem issent ad renunciandum discipulis eius, & ecce Iesus  
occurrit illis, dicens: Auete. Ille autem accesserunt & tenuerunt  
pedes eius, & adorauerunt eū. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere:  
Ite renunciare fratribus meis, ut eant in Galilæam, & ibi me videbūt;

MATTHAEVM. Fo. XXXVI.

Quæ cum abissent, ecce quidam e custodibus venierunt in ciuitatem, ac renunciauerunt principibus sacerdotum omnia quæ acciderant, & congregati cū senioribus, cōsilio habito pecuniam copiosam dederūt militibus, dicentes: Dicte quod discipuli eius nocte venerint & furati sint eum nobis dormientibus. Et si hoc audicū fuerit sub præside, nos persuadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt sicut erant edocti, & diuulgatus est hic sermo apud Iudeos usq; in odiernum diem. Undecim autem discipuli abierunt in Galileam, in montem ubi constituerat illis Iesus. Et cum vidissent illum adorauerunt eum, quidam autem dubitauerunt. Et accedens Iesus, locutus est eis dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filii & spiritus sancti: docentes eos servare omnia quæcunq; præcepī vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad summationem sæculi.

EVANGELII SECUNDVM  
MATTHAEVM.  
FINIS.